



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CL. Bischof Dieterich von Verden erklärt das heil. Geist-Kloster zu Salzwedel für geschieden von der Stadt und daher zur Beobachtung von die Stadt Salzwedel treffenden Interdicten unverpflichtet, am ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56044)

cuiuslibet et dictorum successorum consciencias oneramus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et Sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum in luneborch diete nostre verdenfis dyocesis, sub anno a natiuitate domini Millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, Indictione quarta, die tercia Mensis Marcii, pontificatus sanctissimi in cristo patris et domini nostri, domini Bonifacii diuina prouidencia pape VIII Anno septimo, presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Johanne de Elten, Archidiacono in hetuelt in ecclesia verdenfi, Bernardo wafmodi, Rectore parochialis ecclesie in Alden Mindenenfis, et Johanne Ottermann, presbitero padeburnenfis dyocesis, testibus ad premissa vocatis et Rogatis.

Aus dem Copiarium des h. Geist-Klosters zu Salzwehel fol. 33.

CL. Bischof Dieterich von Verden erklärt das heil. Geist-Kloster zu Salzwehel für geschieden von der Stadt und daher zur Beobachtung von die Stadt Salzwehel treffenden Interdicten unverpflichtet, am 31. October 1306.

Theodericus, dei et apostolice sedis gracia Electus verdenfis, vniuersis et singulis, ad quos presentes littere peruenerint, Salutem in domino sempiternam. Pium et meritorium reputamus, ut ecclesia et monasteria necnon pia loca in ciuitate et dyoceli nostris verdenfi consistencia necnon personas ecclesiasticas inibi pro tempore domino famulantes preferuamus a noxiis, et quantum nobis in hoc diuina gracia suffragetur, studeamus ab ipsis modio congruis dispendia remouere. Ad vniuersitatis igitur vestre noticiam deducimus per presentes, quod, cum alias ad nostram audienciam, dilectis nobis in cristo Religiosis dominis preposito et conuentui (sic!) monasterii sancti spiritus extra muros opidi Soltwedele per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini nostre dyocesis antedie referentibus, esset deductum, quod ab aliquibus assereretur, quod, cum in eodem opido ecclesiasticum seruaretur pro tempore interdictum quid (sic!) eciam in eodem monasterio et eius ecclesia illud obseruare deberetis, quamuis dictum monasterium non sit contiguum eidem opido nec in aliquo suburbio consistat eiusdem, ut intuentium oculis clare patet, et super quibus prepositus eciam et Conuentus predicti, ad nos recursum habentes, nobis humiliter supplicarunt, ut, quod circa hoc per nos obseruari de iure deberet pro tempore, declarare ac ordinare auctoritate ordinaria dignaremur. Nos autem electus memoratus, attendentes huiusmodi supplicacionem fore iustam, et eciam eidem preposito ac Conuentui in hiis salubriter prouidere volentes ad tollendum omnes ambiguitatis materias in premissis, Ideoque per ea, que cognouimus et cognoscimus, auctoritate ordinaria declaramus, dictum monasterium non fore de continentibus opidi aut suburbiorum predictorum, sed ab ipsis opido et suburbiis omnino per competens eciam spacium intermedium fore diuisum. Quapropter super hiis eciam Jurisperitorum freti consilio presencium tenore ordinamus et declaramus, quod deinceps in opido et suburbiis ipsis coniunctim uel diuisim generale interdictum ecclesiasticum contigerit obseruari, quod propterea prepositus existens pro tempore dicti monasterii et huiusmodi Conuentus a sollempnificatione siue celebracione missarum et aliorum diuinorum officiorum in eadem ecclesia dicti monasterii pro tempore cessare non debeant ullomodo, nisi huiusmodi celebracio eis

fuerit specialiter interdicta, Non obstantibus voluntate ac mandato Reuerendi patris domini Ottonis, Archiepiscopi bremenensis, tunc verdenensis antistitis, predecessoris nostri, in contrarium super hiis dudum factis, que etiam presentibus tollimus et reuocamus ac de facto decreuimus processisse, Mandantes nichilominus subditis nostris clericis et laycis quibuscunque, ne coniunctim vel diuifim eosdem pro tempore prepositum existentem et Conuentum contra huiusmodi declaracionem, ordinacionem et decretum nostras molestare presumant etiam sub pena excommunicacionis, quam trina tamen et canonica monicione premissa in hiis scriptis ferimus in rebelles presencium contemptores siue in eos, qui dictos prepositum et Conuentum pro tempore contra huiusmodi nostram declaracionem, ordinacionem et decretum presumpserint molestare. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum, actum et decretum in curia nostra Episcopali in lüneborgh nostre dyocesis predictae, sub anno domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo sexto, in vigilia omnium sanctorum, presentibus discretis viris dominis Johanne otterman et Bernhardo walsmodi, presbiteris Capellanis, et Nicolao de basilea, layco, familiaribus nostris, testibus ad premissa vocatis.

Nach dem Copiarium des heil. Geist-Klosters zu Salzwedel fol. 5.

CLI. Bischöfliche Anordnung desselben Inhaltes, vom 31. October 1396.

Theodericus, dei et apostolice sedis gracia Ecclesie verdenensis Electus, vniuersis et singulis et specialiter quorum interest seu interesse poterit in futurum, ad quos presentes littere peruenierint, Salutem in domino sempiternam. Ad vniuersitatis vestre et cuiuslibet vestrum deducimus noticiam, Ad nostram, Religiosis viris dominis preposito et Conuentu Monasterii sancti spiritus extra muros soltwedele Canonice regularibus referentibus, esse perlatum audienciam, Quod cum in opido soltwedel ecclesiasticum seruabitur interdictum uel cessacio diuinorum, propter hoc monasterium sancti spiritus eidem opido non contiguum sed longe distans, non fuit interdictum, nec consuetum propter hoc in eodem monasterio fieri cessacionem diuinorum, quodque sic fuit abolim a tanto tempore, cuius contrarii memoria hominum non existit, palam, publice et notorie firmiter obseruatum. fuit etiam propositum pro parte ipsorum et narratum, quod licet id monasterium sit in tanta distancia situm ab opido soltwedel, quod non possit inter suburbia uel edificia continencia reputari, nec etiam baptismatis in eodem opido soltwedel respectu istius monasterii matrix ecclesia dici possit, sed idem monasterium et opidum per longam distanciam sint penitus seiuncta; Tamen venerabilis pater dominus Otto, tunc verdenensis nunc vero archiepiscopus bremenensis, de anno domino Millesimo CCC nonagesimo primo voluit et mandauit, quod cum in opido soltwedel seruaretur interdictum uel cessacio diuinorum, eo ipso in monasterio predicto preposito et Conuentu hoc scientibus voluit interdictum uel cessacionem diuinorum obseruari. Super quibus prepositus et Conuentus predicti nostram declaracionem et voluntatem, Jurisdiposicionem consonam humiliter sibi pecierunt impertiri et de salubri remedio prouideri. Sane nos attendentes, quod frequens interdictorum et cessacionis diuinorum contra vulgarem vsum obseruancia diminucionem diuinorum officiorum pariat,